

5 Lenitas est mansuetudo iram moderans.

SCHOL. Distinctioris doctrinæ gratiâ à recentioribus distinguitur inter mansuetudinem & lenitatem, tanquam inter genus & speciem. Mansuetudo tribuitur tum privatis hominibus, tum publicis, puta principibus & magistratibus, Lenitas verò privatis, quibus vindicandi potestas simpliciter non est permessa. Interim tamen principibus etiam competit, quantum ad iram, quatenus affectus est. Clementia verò non nisi principum & magistratum est. Lenis igitur mansuetus est, qui iram ita moderatur, ut non irascatur, nisi ob justas causas, & quidem, quibus, quomodo & quamdiu decet. Errant enim qui iram simpliciter improbant, non distinguentes inter iram licitam & illicitam. Illa justa est, 1. quia Deo etiam in Scripturâ tribuitur. 2. quia juxta vetus dictum: *Mentem non habet, qui iram non habet.* 3. Quia Peripatericis ira est cos fortitudinis. 4. quia ira utendum est ut milite, non ut duce, secundum Senecam. 5. quia non irasci injuriæ & sceleribus, dissoluti est hominis; unde Imperator Valens in symbolo, Alienus ab irâ, alienus à justitiâ. Qui ergo mansuetus & lenis dici vult, non ab omni irâ, sed ab immoderatâ & illicitâ absteineat, juxta illud: Bonum apud virum citò moritur iracundia. Et Seneca. Nihil est magnum quod non sit placidum. Exemplo sunt Abrahamus & Lotus, Gen. 12, v. 8. &c. Plato studiosissimus fuit lenitatis. percussurus enim aliquando servum, vapulares, inquit, nisi iratus essem. Et Athenodorus Philosophus Augusti Cæsaris præceptor, ab Augusto domum reversurus, petente Augusto, ut aliqua sibi relinqueret præcepta, Auguste, inquit, vide ne quid iratus facias; si quando irasceris, sententiam ne dicas, quin priùs alphabeti Græci elementa recitaveris, scilicet, ne quid in primo iræ æstu contra rectam rationem fiat.

Judex igitur ad tribunal nunquam iratus ac-

cedat, *ὁ γὰρ γὰρ ἀπερνόντων,* ut ait

Xenophon.

6 Leni-

*Non omnis  
ira est im-  
probanda.*